

in Beelzebub. Quamuis enim peccatum, quo anima moritur, in voluntate principaliter committitur, tamen mors illa ab extrinseco communiter occasio natur, Hinc Iacobus, Vnusquisq; tentatur à sua concupiscentia &c. Concupiscentia cum conceperit, parit peccatū. Peccatum, cum consummatum fuerit, generat mortem. Et potest declarari per exemplum magistri de casu primorum parentum, dist. 2. 4. secundi. Hiuc Hierem. 1. Ab aquilone venient, & ponet vnusquisque solium suum in introitu portarum Hierusalem, id est vitia per sensus carnis labem animarū ingerunt. Item capit. 9. vt supra. Intrauit mors &c. Custodia ergo sensuum &c. testimonium est puerorum demonem expellentium.

Tertium signū est si arma diaboli sunt contra fructus virtutum. Arma diaboli vitia sunt. Arma spiritus sancti sunt virtutes. Ephes. 6. Induite vos armaturam Dei &c. lorica iustitię, gladio verbi Dei, scuto fidei &c. Si ergo sentimus inclinationes vitiorum imminutas, vel saltem non prauales, prauales autem gratiam Dei, signum est expulsionis in digito Dei, Sentimus inquam, in voto, & proposito firmo.

Quartum signum, relectio in Christo, disperforum in nobis. Disperforum virtutes, & potentias animarū, appetitū & cogitatū in varia contra dominum diuini ab eo secundum desideriorum illorum varietatem. Colligimus cum Christo, dū per plenā nram subiectionē omnia ordinamus in Christum, scientes solum vnum esse necessarium Luc. 10. Christum. s. in nobis regnantem, vt possimus dicere, Viuo ego, non ego, viuit verò in me Christus, ad Gal. 2. His signis in nobis compertis, possumus scire nos eicere, vel eiecisse demonia in digito Dei, cum amore iustitię, & Dei qui prius peccato seruimus, nunc soli Deo viuere statuiamus voluntate efficaci. Facile possunt hic articuli quatuor extendi.

DOMINICA LETARE

re Sermo 1. in ordine.

XXXI.

ACCEPIT Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus, similiter & de piscibus, quantum volebant. Ioan. 6.

Quamuis penitentia, cui hoc tempus quadragesimale specialiter dedicatur, dolorem habet, tristitiaque pro peccato, non tamen in speratam, nec gaudium penitus experte, immo consolatione habet, & gaudium in semetipsa. Sic enim (ait Aug.) peccator de peccato dolet, & dolore gaudeat. Hoc autem gaudium penitentię ecclesia per presentem dominicam representat. Refulget namque ipsa gaudio singulari, propter quod promissę introitum ad gaudium filios suos inuitat, dicens Letare Hierusalem, & conuentum facite omnes, qui diligitis eam, gaudeat cum lætitia, qui in tristitia fuistis, vt exultetis, & satiemi ab vberibus consolationis &c. Letatus sum in his que dicta sunt mihi &c. ad gaudium viteque non carnale, non transitoriū, nec seculare. De sic namque gaudentibus veritas ait Luc. 6. Vx vobis, qui ridetis, quia lugebitis, & flebitis, sed inuitat ad lætitiā spiritus, quę est in Christo domino, secundum illud Eph. 4. Gaudete in domino semper &c.

Sunt autem plures rationes quare hæc dominica specialiter gaudio deputatur. Inter quas hæc nobis consideranda est. Gaudium quippe in domino oritur principaliter ex pace conscientię secundum illud, Secura mēs quasi iuge conuiuium. Prouerb. 15. Hęc pax, & securitas conscientię eius pargationem prærequirit, quam quia in omnibus filiis suis factam per contritionem verā & confessionem puram in hoc tempore quadragesimali mater ecclesia præsumit, ideo ad gaudia excitat huiusmodi. Merito enim tales gaudere debent. Tum, quia à peccatis soluti, tum quia